

3

DE  
LAUDIBVS  
VITAE. RVSTICA  
ODE  
HORATII  
EPODON. SECVNDA  
AB. ALDO. MANVCCI  
EXPLICATA



AD. PERILLVSTREM  
IVLIVM. CONTARENVM  
GEORGII. F.  
PATRICIVM, VENETVM



BONONIAE . CIC 10 XXCV

ЗАДАЧИ ПО  
НОВОЙ  
АСТРОНОМИИ  
ДЛЯ УЧУЩИХСЯ

AD TERRITORIUM  
LITVM, CONTRARIUM  
GEOGRAPHICVM,  
BANCIUM, APPLICATVM



Івана Глоба. Задача

PERILLVSTRI  
IVLIO. CONTARENO  
GEORGII. FILIO  
ALDVVS. MANVCCIVS  
S. P. D.



A L E A N T Principes , &  
si qui Principum nomi-  
ne gaudent . quandoqui-  
dem , quae prima nobis  
esse debent , otium , &  
quies , atque animi tranquillitas , procul  
ijs absunt . certe , si per eos hoc dicere  
mihi liceat , quod licere uolo , nulla me-  
uitae meae satias . ita tenet , ut meam

cum illorum uita permutare cupiam.  
animus princeps est . isq . dum regit ,  
rex est , qui ab eo regitur . Recteq . ad-  
modum a Platone scriptum est , priu-  
atos ingenium Principis sequi . Regibus  
igitur relictis , ad eos , qui in priuata ui-  
ta Reges sunt , hieus se deinceps con-  
uertat animus ; ad Teq praecipue , I V L I  
CONTARENE , in quo nihil Regium  
desideratur . Hoc ut mihi magis ex ani-  
mo contingere possit , Horatiu[m] adiui ,  
eius uitae laudes decantante[m] , quae a  
curis seiuncta sit . Feci q . libenter , ut ,  
quae ipse elegantissime scripsit , quae a  
me hisce diebus sunt publice interpreta-  
ta in Academia Bononiensi , in qua bien-  
nium iam eloquentiam profiteor , in  
Tuo nomine appareant ; & Reges ipsos  
pudeat , Reges esse , cum Tu mihi Rex sis ,  
eumq . Te esse ostendas , qui Regum glo-  
riam obscures . Totus es in litteris , in  
quibus quantum proficias , mirum dictu-  
est . ijs enim rebus abundas ; quae ad

hoc maxime facere uidentur . Huiusc  
Ciuitatis uel muta facies Te inuitat , Tua  
ad probitatem directa natura Te allicit,  
doctorum uirorum consuetudo , quibus-  
cum familiarissime es , Ascanij Persij ,  
Camilli Camillij , & Darij Socini , mul-  
tum cum ad hoc addat , minimum ta-  
men addit . Spatium enim non relinquis ,  
in quo excurrere , & se exercere possit  
eorum industria . ita assidue uersaris cum  
libris , domesticis tuis , qui uere Tui fa-  
miliares sunt . Sed haec maxima , sunt  
in Te minima . eo enim uitae genere uter-  
is , quod ad probitatem attinet , ut an-  
nos prudentia uincas . Videre mihi ui-  
deor non pictam , non adumbratam ,  
sed uere ueram , Clarissimi Patris Tui  
Georgij imaginem . Facileq. licet augu-  
rari , cum Eum Tu aetate aequabis , ijs  
rebus omnibus , quae Eum in Illustris-  
sima , & Augustissima Vrbium regina ,  
inter illustres , Regiosq. Proceres illu-  
striorem reddunt , longe a Te supera-

---

tum

tum iri . Praecipiat animo gaudium Pa-  
ter Tuus , absentisq. desiderium aequo  
animo ferat , qui aliquando in Patriam,  
gloria onustus , amicis carus , Familiae  
iucundus , Patriae ipsis utilis , reuertaris .  
Firma ego spe nitor , eum Te fore , qui  
splendori splendorem adiungas . Meam  
interim obseruantiam Tibi non ingra-  
tam esse , ut mea caussa plurimum laet-  
tor , sic eadem caussa notam omnibus  
esse uolui .

Bononiae. iv. Id. Mai. ccccvi



10. FRANCISCI. COSTAEI



VICVM QVE est grauioribus  
solitus  
Curis pauperiei, honoris, auri,  
Quem non sollicitat Venus,  
Mauorsque,  
Cui si est anxia cura litterarum,  
Commiscere iuuat seueriori  
Interdum studio lyram, & camoenas,  
Quem, spreta vrbe nimis negotiosa,  
Nunc per florida prata diuagari,  
Nunc montes superare, nunc aquosa  
Delectat peragrare, nunc in imis  
Telluris penetralibus supremae  
Naturae intima dona quaeritare,  
Nunc uel fallere aues libet doloso  
Visco, uel laqueis feras, uel hamos,  
Nassas, retia, piscibus parare.  
Haec si contigerint cuiquam, & ille  
Sit uitae integer, & Dei memor sit,  
Illi est parta quies, beatus ille est.



1. *Contra* *adversarios* *christianos* *de* *re* *christiana*  
2. *Contra* *adversarios* *christianos* *de* *re* *christiana*  
3. *Contra* *adversarios* *christianos* *de* *re* *christiana*  
4. *Contra* *adversarios* *christianos* *de* *re* *christiana*  
5. *Contra* *adversarios* *christianos* *de* *re* *christiana*  
6. *Contra* *adversarios* *christianos* *de* *re* *christiana*  
7. *Contra* *adversarios* *christianos* *de* *re* *christiana*  
8. *Contra* *adversarios* *christianos* *de* *re* *christiana*  
9. *Contra* *adversarios* *christianos* *de* *re* *christiana*  
10. *Contra* *adversarios* *christianos* *de* *re* *christiana*

HORATII  
ODE  
II. EPODON



**B**EATVS ille, qui, procul negotijs,  
Vi prisa gens mortalium,  
Paterna rura bobus exercet suis,  
Solutus omni fenore;  
Neque excitatur classico ut miles trucis;  
Neque horret iratum mare;  
Formiq. uitat, & superba ciuium  
Potentiorum limina.  
Ergo aut adulta uitium propagine  
Alias maritat populos;  
Aut in reducta nalle mugientium  
Prospectat errantes greges;  
Inutilesq. falce ramos amputans,  
Feliciores inserit;  
Aut pressa puris mella condit amphoris;  
Aut sondet infirmas oves;  
Vel cum decorum mitibus pomis caput  
Autumnus aruis extulit;  
Ut gaudet insitiva decerpens pyra,  
Certaniem & unam purpurae,  
Qua munereatur te, Priape, & te pater

B

Silvano

# ARGUMENTVM



IN O IT Alfium quendam fenerato-  
rem, quasi mutato consilio, ad uit-  
tam rusticam animum adijcientem,  
captum eius uitae comodis, ipsius  
secum laudes recensere. Sed eun-  
dem, cū omnem suam occupatam hic,  
atque illic, pecuniam exegisset, ut eam in aliquod ru-  
sticum praedium impenderet, mox ad ingenium redeu-  
tem, eam denuo proximis Kal. fenori dedisse.

Duo hinc habemus obseruatu digna;  
alterum, neminem sua sorte contentum uitare; quam  
thesin fuse persecutus est satyra prima primi libri Sa-  
tyrarum;

alterū, esse perdifficile, ac fere tār a d uātār, homi  
nem ingenium mutare, cum maxime, qui diu aut vir-  
tuti, aut uitio, fuerit assuetus.

Fructus autem, ex hoc, is elicetur.

Videmur enim a Poeta, personā Alfij notante, tacite  
admoneri, ne diu nimis indulgeamus naturae nostrae,  
ad uitium aliquod propensa; ne postea, cum uelimus  
habitum virtutis, cum uitio illo pugnantem, nobis ad-  
sciscere, id facere in nobis non sit amplius situm, uel  
certe difficultimum eueniat, ut euenit Alfo.

Haec est, ut sic dixerim, Odes huius medulla. cuius  
si quis solum corticem inspiciat, longe alium ex ea sen-  
sum elicit.

Quod attinet ad methodū, qua utitur in hac Ode Ho-  
ratius; dico, totam hanc Odem esse unicam ratiocinatio-  
nem: quam hoc modo necere possumus.

Illud nos beatos efficit, in quo maxima est uoluptas,  
cum minimis coniuncta molestijs.

At

At huiusmodi est rustica uita.

Ea igitur nos beatos efficit.

Subsicer Horatius huius ratjocinij primam propositionem, & in solo ejus assumpto probando, ac declarando, commoratur.

Propositio enim prima, ut notissima, fuit iure silencio praetereunda. quare ratio est enthymematica.

Assumptum uero erat, Vitam rusticam nos efficere beatos. Hanc propositionem probat, non alio argumento, nisi eius uitae commodis sigillatum, enumeraudis.

Et, quoniam, ut uulgo dicunt, contraria iuxta se posita magis elucefcunt; ut illustriora nobis essent uitiae rusticæ commoda, statim Horatius ponit nobis ante oculos incommoda uitiae urbanæ; & aliorum; inquietus.

Procul negotijs.

Solutus omni senore,

Nec excitat clasico;

Nec horret iratum mare,

Forumq. uitat, &

Superba ciuiū Potentiorum limina. &c.

Nunc ad explanationem uerborum accedamus.

Quod nesciret ea mollescere possit? Oho  
Bacchus dico, rosem que Ophelia nesciret  
Illi budus pectus illicebat, in quo uiriliter  
esse uolens.

*Iuncundior, quam lecta de pinguissimis  
Oliua ramis arborum:  
Aut herba lapathi prata amantis, & graui  
Maluae salubres corpori,  
Vel agna festis caesa Terminalibus,  
Vel haedus ereptus lupo.  
Has inter epulas, ut iuuat pastas oves  
Videre properantes domum;  
Videre fessos uomerem inuersum bones  
Collo trabentes languido:  
Positosq. uernas, ditis examen domus;  
Circum'renidentes lares.  
Haec ubi locutus fencrator Alfius,  
Iam iam futurus rusticus,  
Omnen re legit Idibus pecuniam,  
Quaerit Kalendis ponere.*







*E A T V S ille , quī , procul negotijs ,  
Vt priscia gens mortalium ,  
Paterna rura bobus exerceat suis ,  
Solutus omni fenore ; ]*

Sententia periodi huius clara est :

Beatum inquit esse illum, qui longe a negotijs, & molestijs urbanae uitiae, rure degens, terram colit, quae fuit priscorum uita mortalium : si tamen is ita se exerceat, ut propria, non aliena, rura, proprijs, non alienis, aliunde ue locatis, aut conductis, bobus aret. qui enim in alieno loco, atque alienis iumentis, opus facit, is pauper, ac non latis cōmode degens, existimandus est.

Felices igitur prorsus iudicat eos, qui, relictis ciuibus negotijs, agri cōlendi studio se oblectant. nam omnium rerum (ut grauiſſime inquit Cic. in Officijs) ex quibus aliquid exquiritur, nihil est agricultura melius, nihil uberius, nihil dulcior, nihil libero homine dignius. Et in Catone Maiore dicit: *Mea quidem sententia, haud scio, an ulla beatior esse possit uita.* (de rustica loquitur) neque enim solum officio delector, quod hominum generi uniuersō cultura agrorum est salutaris, sed & delectatione, & saturitate, copiaque, rerum omnium, quae ad uitium humanum, cultumq. etiam deorum, pertinent. Ibidēinq. plura de Agriculturae laudibus. Simili modo Virg. lib. II. Georg. descripturus laudes uitiae rusticæ, orditur:

*O fortunatos nimirum, sua si bona norint ,  
Agricolas, quibus ipsa , procul discordibus armis,  
Fundit humo facilem uictum iustissima tellus : &  
quae sequuntur .*

Quem locum egregie uidetur esse imitatus Horatius, ut eruditii annotarunt: si modo, antequam haec pangeret Horatius, illum Virgilij locum legit.

*Procul*

*Procul negotijs,*] Non satis est, dicere uult Horatius, esse sine negotijs, siue semotum, & separatum, a molestijs urbanae uitae, & negotiorum, ut beatus homo sit; sed oportet, ut homo sit procul, hoc est, longe absit, a negotijs. multi enim possunt esse sine negotijs, qui tamen otiosi proprie dici non merentur. Contingit enim aliquando, eum, qui in urbe uiuit, exsolutum esse omnibus negotijs per aliquod breue tempus: is tamen otiosus non est; cum paullo post, temporis ad respirandum vix satis nacto, noua negotia ipsi offerat, atque impunit, occasio. is certe otiosus dici non meretur. illud enim tempus, quo uacauit a negotijs, ei datum uidetur potius ad se recipiendum, & ad vires reficiendas ob sustinenda noua negotia. propterea, qui uult frui otio, & dici uere beatus, oportet, ut procul degat a negotijs, hoc est, ut non solum sit sine negotijs, uerum etiam sine occasionibus negotiorum. Atque hoc est, *Esse procul negotijs*, occasiones inquam negotiorum non habere praesentes.

*Procul negotijs,*] Haec particula orationis, ubi sine praepositione usurpatur, ipsam est praepositio, ut hic; ubi uero cum praepositione, tum est aduerbiu[m].

*Ve prisa gens mortalium,*] Aurea saecula designat, quibus maiores in agris uiuebant, eosq. sine metu libere colebant. Priscis enim (nomine autem Priscorum non solum primos homines, sed etiam qui postea fuerunt, modo ab aetate nostra ualde remotos, appellamus) Priscis, inquam, maximum studium agriculturae fuit, & solus ex rure uictus, ac quaestus. Nam ipsorum tunc manibus colebant agri, ut fas est credere, ait Plinius: *gaudente terra uomere laureato, & triumphali aratore.* illi eadem cura semina tractabant, qua bella; eademq. diligentia arua disponebant, qua castra. Est porro agriculturae

9  
turæ initium antiquissimum. ut potè quām primi o-  
mnium Adami protoplasti Cænus, & Abelus filij colue-  
runt. ut tradit. Iosephius lib. 1. Antiquitatum quorum  
alter quidem pâstione; alter uero; aratione; uitam  
suam extraxerat. Et utrisque Nœus; post Catacly-  
sum, successit, atque per manus artem acceptam alijs  
tradidit. sed, hac adhuc rudi non contentus, primus  
quoque uineam colere instituit: quam eius progenies,  
cum alijs partibus agricolationis, in uniuersum Terra-  
rum orbem propagauit: sicut,

I Assur, apud Assyrios;

II Gomés, apud Cimbros;

III Aram, apud Syros;

V Chüs, apud Aethiopas;

V Ascane, apud Théutonos;

VI Euryla, apud Libykos;

VII Nam, & Saba, apud Arabas;

IX Cânaqm, apud Cananacos;

IX Iapetus, apud Ionas;

X Cethim, apud Macedones;

XI Tharsis, apud Cilicas;

XII Iauan, seu Janus, apud Graecos, & Latinos;

& alij denique, apud alios.

Hanc primum inuentam ab Ositi, qui idem est cum  
Dionysio, in Aegypto, testatur Diodorus in 1; A Tri-  
ptolemo, in Graecia ab Atticis, & Eleusinijs populis,  
testis est Iustinus in 111. A Saturno in Latio, auctores  
sunt Virg. Macr., Eutropius. Cererem, quam a geren-  
di frugibus Gererem appellatam, alicubi Cicero pro-  
didit, in Sicilia agriculturam reperisse, sunt qui scribât.

Nabidi suo Hispani, alij a lijs Agriculturæ inuentum  
acceptum referunt: origo vero illi uirginis sed.

Quid? Non ne Vlysses, Ithacensium rex, armenta

venundabat ? Ut iure nihil tam regale uideri dixerit Cicerο, quam studium agri colendi. Alcinoi, Phaeacum regis, horti celebratiissimi sunt. Laertesq. in agris delituit; ijsdemq. se oblectauit, quo desiderium filij sui exsulis leniret. Cato inquit, *Agricultori opus proximum, ac quasi consanguineum, sapientiae.* Et Varro ait, *Cultorum quaestum maxime pium, stabilissimum, & minime inuidosum.* Rerēq. dictum a Columella, sine ludicris artibus, atque sine caussidicis, olim satis felices fuisse, atque futuras esse, urbes : ut sine agricultoribus, nes consistere mortales, nec ali posse, manifestum esse.

**Gens mortalium,**] *Gens,* aliquando latissime pater, & significat genus humanum, ut hic aliquando illius late, & significat nationem aliquam, ut Phrygum, Persarum, Romanorum : & hic dicimus, Ius gentium, quo gentes, hoc est nationes omnes, utuntur: aliquando capitur pro ijs, qui eodem nomine sunt, & Gentiles vocantur. Sic Romani uocant gentes, Iuliam, Potiam, Corneliam, &c.

**Paterna rura bona exerceat sua,**] Quare paterna? quia iucundiora sunt nobis auita bona, & maxime res fundi, in quibus nati sumus, & educati. ut uideantur nobis loco mutorum parentum. Nam, si dulcis amor patriæ, quanto dulcior erit propriæ domus, in qua primùm de caelo spiritum duxeris; & lumen uideris? Ulysses amore patriæ miro tenebatur, et si magnam orbis partem peragrasset, & loca amoeniora multo, & etiam salubriora, esset emetitus. Quanta sit patrij soli caritas, quae uis, ignorat nemo. Et, si cui libuerit haec melius cognoscere, legat Patriæ encomium apud Lucianum.

Beatus igitur ille, qui ex agro a parentibus reliquo uictum quacrit, eoq. licet modico contentus est.

Sic

Sic legimus, Aeliorum, & Huberorum familiam,  
 cum deinceps septem eiusdem cognomina essent, cum  
 uxoribus, & liberis, eandem idem exiguam inclo-  
 suisse, eundemque agrum Vientianum arasse, & ex frus-  
 tibus illius vixisse. *Bobus exercet suis,* Ne quis putet, Horatium helle,  
 cum solum esse beatum, qui proprijs manibus aret, eo  
 quod dicat, *Bobus exercet suis,* & Exercendi uerbum  
 adiungat ei, quem Beatum vocat. potest enim et *Exer-  
 cet*, acipi etiam, pro, exercenda curat, & assidue colit,  
 proscindit. Possunt autem multa uerba hoc modo usur-  
 pari. Sic apud Virg. *Tondere* dicitur, ille, qui se ton-  
 tendum alij tradit, in Ecloga, ubi Tityrus inquit Mo-  
 libeo: *Libertas, quae seratamen respexit inersem:*  
*Candidior postquam tondenti barba cadebat.* Et *Exer-  
 cet*, hic, idem est, ac colit. Eodem sensu hoc  
 uerbo utitur Virg. Georg. I. *Exercetq. frequens* stellu-  
 rem, atque imperat arnis. Et Georg. II. sed paullo con-  
 tractius, cum solam arationem designet, inquiens:  
*Aut presso exercere solum sub iuvene:* Hic autem  
 quemuis agri cultum, adhibitis tam bobus, intel-  
 ligit. *Et, quoniam adhuc improbari hoc uitae genus pot-  
 erat ab aliquo, dicente, id esse indignum homine, ob id,*  
 uelut tacitae occurrens obicctioni, Horatiis, inquit, ui-  
 tam rusticam esse omnium antiquissimam, & priscis ho-  
 minibus aureo illo saeculo consuetam; proinde non es-  
 se spernendam; immo vero ceteris preferendam; si qui-  
 dem, ut ea negotijs urbanis procursit, non tamen est  
 prorsus otiosa, atque iners, sed actuosa, quemadmo-  
 dum deinceps ostendetur, & in ijs operibus occupatur,  
 quae ad beatitudinem, breviori quodam, & tutiori, tra-

mitate, nos perducunt, quam urbana negotia, cum a rusticā uita procul absint uersutiae, dolii, fraudes, imposturae, adulaciones, ambitio, & dominandi cupido, mater omnium uitiorū. Quod igitur ad uitae integritatē, & probitatē, attinet, nemo adhuc dubitarit, rusticam uitā urbanae uitae esse praeferendā: quod ad nobilitatem, ea primum antiquissima est omnium, ideoq. nobilissima. Urbana quidem uita politior est, quam rusticā, comptior, addē etiam commodior. Sed nobiliorem non esse, ex eo patet, quod hodie, in nonnullis Europae partibus, nobilissimus quisque rure degit, in urbe sunt opifices, mercatores, & cetera plebs. Quid dicām de veteribus Romanis? nonne ab aratro ad dictaturam uocabantur? Apud Aristophanem uero, in Pluto, cum Chremilus, uir iustus, sed pauper tamen, Cariōnem seruum mittit uocatum homines uitae probitate sibi similes, non ne rus eum legat, ad rusticos homines conuocando, ut in domum suam conuenirent, ad uisendum Plutum, qui optimis quibusque ingentes erat pollicitus diuitias? quid enim, quaeso, aliud, eo nos exemplo docere uult Aristophanes, nisi, proborum hominum rus esse domicilium, in urbe esse oratores, sophistas, parasitos, & id genus hominum, qui omnia suo metiuntur commodo? Postquamq. urbes condi coepere, saecula, ex aureis, non solum argentea, & aenea, sed ferrea, euasere.

*oil Bobus*] Bubus, legendum ex Prisciano lib. VII. quo modo est in antiquo meo libro.

*Solutus omni fenore;* ] Non alieno aere obstrictus. De dupli fenore intelligitur, & de eo, qui fenori dat, siue feneratur, & de eo, qui fenori accipit; ideoq. dicit, *Omni fenore.* Liber itaque ab omni debito, & lucro. Non igitur fenori obstrictus, neque faciens lucrum injuum

quum ex pecunia fenori data , sed e terra usuram capiens , quae est longe uberrima , & iustissima , ut pote ex manu Dei profecta .

Porro Aristoteles primo Politicorum capite 7 . lucrum ex fenore maxime damnat . Inquit enim , fenus iure merito uituperari , atque odio haberi : eo quoniam fenerator nummū ex nummo generat , quasi nūmus uim habeat generandi , cum nullam habeat . ideoq. lucrum hoc *tōkos* , inquit , appellatur , quasi nummus nummū patiat . hoc autē contra naturam est . natura enim nummus ex rebus naturalibus aut ingenio , aut artificio , aut labore cōparatur , non ex nummo alio . nummus enim sua natura sterilis est . quemadmodum ergo monstri simile est sterilem parere , sic est contra naturam nummū nummū parere . merito igitur feneratio exosa est .

*Fenore;* ] Fenere , uetus meus liber . antique . non prorsus contemnenda lectio .

*Neque excitatur classico miles truci;* ]  
Diximus , ab Horatio praeferrī uitam rusticam urbanae , non quod sola urbana differat a rustica , hoc est , ea , quae intra muros degitur urbium ; sed urbanae uitiae nomine ceteras omnes uiuendi rationes , praeter rusticam , comprehendī uoluimus : quoniam & miles , & nauta , & si qui aliij sunt , qui in urbe non uersantur , et si in una urbe non semper manent , in urbe tamen , modo hac , modo illa , degunt , & negotiantur : & hoc modo Vrbani uocari possunt : praeterea , moribus sunt urbanis , non rusticis , maxime uero omnium nautae , qui technas omnes norunt , ac struere solent urbanas .

*Neque excitatur &c.* ] Neque , inquit miles est , neque nauta , neque patronus , aut cliens , neque aulicus . Omnia hec periphrasi explicat , quae poetarum fere est propria , & non solum est auditu iucundior , sed rem ob

ob oculos pónit. Si enim dicam, Miles, iam confusus, quid ego uelim dicere, intelligis; si dicam eum arma tractare, & classica uoce excitari, iam intelligis, a me & militem significari, & militis opus, atque officium, agnoscis, ac praeterea meum cognoscis de milite, & de militia, iudicium, neimpe, a me existimari & duram, & trucem. Notandum tamen, aliquando licere uti promiscue uel sola uoce, uel uocis periphrasi: aliquando non licere uti sola uoce, sed necesse esse uti periphrasi, ut hic. nam, si dixisset Horatius, Bea tum esse eum, qui rure degat, & nec militiae, nec rei nauticae, nec foro, nec aulae, uacet; neque periphrasi explicasset militiac, nauticae, & aulae, incommoda, in eius oratione multo minus esset energiae; neque constaret nobis, qua de causa ceterae uiuendi rationes cum rusticā uita, quo ad beatitudinem, non sint conferendae.

Virg. *Rusuntq. inferrum.*

*Neque excitatur clasicō &c.]* i. non sectatur horrenda, & periculosa, bella, spe lucri, aut honorum; sed agrum suum colit.

*Hinc anni labor; hinc patriam, paruosq. nepotes*

*Sustinet: hinc armenta boum, meritosq. iuuenios, ut canit Maro.*

*Excitatus, in duobus scriptis meis.*

*Clasicō iruci;* ] h. e. horribili tubae sonitu. nam *Clasicum* dicimus ( ait Seruius ) & *tubam ipsam*; & *sonum*. Solebant autem ueteres, cum educere legiones in hostes uellent, aut a proelio reuocare, concentu tubarum, & cornuum, signum dare. Et illud, *Clasicum*; hoc uero Recepui canere, dicebant.

*Neque horret iratum mare;* ] Mare iratum, h. e. agitatum uentis. tum enim, cum aduersi perflant uenti, ac uehementes admodum, maximi excrescunt in mari flu-

*ctus,*

ctus, quibus turget mare. ut & irati homines *Turgere* dicuntur; cum sunt irati, ut est apud Plautum.

Mare autem non proprie dicitur iratum, cum ira, unde de iratus quis dicitur, non possit esse affectio rerum anima carentium. quae enim anima carent, animae quoque viribus, & operationibus, carent.

Relinquitur ergo, ut Mare dicitur iratum metaphorice. Et, quia non utimur translatis nominibus, nisi in ijs rebus, quae non nihil habent similitudinis cum ijs, quibus significandis translata illa nomina prius sunt imposita, ideo, ut iratum dicitur mare, facit similitudo quaedam fluctuantis maris cum homine irato. Sicuti enim is, qui est ira percitus, fremit, & uerba profert quodam cum strepitu, atque insuavi sonitu, ac potius murmure; sic quoque mare ipsum uentis concitatum fremit: unde *Fretum* dicitur angustum mare, in quo est assiduus ille, ac uehemens, fluctuum fragor, ac strepitus. Praeterea, sicuti iratus homo comminatur alteri malū, (ira enim, ex Aristotele, est cupiditas ulciscendi illatam iniuriam, quae non solet aboleri, ni malo aliquo auctorem iniuriae multemus) sic quoque mare ipsum uentis percitū comminatur & nauibus, & rebus quibuscumquo, ipsis etiam piscibus, exitium. Haec igitur similitudo Maris: cum homine irato dedit occasionem potissimum, ut sat eleganter, atque apposite, ipsum Mare iratum dicerent.

*Neque horret iratum mare;* ] non committit se tempestuoso, & periculis pleno, mari, caussa quaestus, ut faciunt mercatores.

*Forumq. uitat;* ] Vrbanae uitiae descriptio, ex aedificijs, & urbanis praedijs.

Duo autem in urbe sunt aedificiorum genera; Publica, & priuata.

Publica,

Publica , sunt, quae sunt uniuersitatis ;  
 Priuata, quae priuatorum sunt ciuium , ut testatur.  
 Iustinianus in titulo secundi Instit. primo, qui est de re-  
 rum diuisione. Suntq. publica aedificia , ut theatra, sta-  
 dia, basilicae , templa , & cetera huiusmodi , in quibus  
 forum connumeratur. Est autem Forum , locus, in quo  
 iudicia exercentur est : quoque, in quo res prostant ue-  
 nales: & ob id opida multa uocata sunt hoc nomine, ut,  
 Forum Iulij, Forum Sempronij, Forum Cornelij, &c. a  
 nundinis, in his locis institutis: cum in haec loca merca-  
 tores undique confluenter, merces suas comportantes,  
 uenum eas dandi gratia . Graeci haec Εμπόρια dicunt.

Hoc loco per Forum intelligit Horatius, forum tum  
 iudiciale, tum etiam id, in quo res uendebātur . is enim,  
 qui in urbe negotiatur , aut in foro rerum uenaliū uer-  
 satur, aut in eo , in quo iudicia exercentur ; in illo qui-  
 dem, si sit mercator ; in hoc , si publicum aliquod onus  
 sustineat , uel si sit aduocatus , iurisconsultus, patronus,  
 cliens .

Sunt uero, qui in foro nihil habent negotij, atque in  
 eo frequentes non uidentur . Hi plerique , nisi in urbe  
 sint prorsus otiosi, (opifices excipio) frequentant tamen  
 potentiorum limina, & in aulis sunt , plerumque obser-  
 uantes primarios homines, eosq. afflectantes .

Belle igitur Horatius tetigit duobus uerbis loca om-  
 nium urbis, in quibus homines aliquid habent negotij .

*Superba* inquit *limina*, uel quia superborum hominū  
 domicilia , quales sunt plerumque, & diuitijs, & nobilitate,  
 insignes , ut Aristoteles quoque testatur in libris de  
 Rhetorica . Vel, *Superba*, μυταφορικῶς, quoniam poten-  
 tiorum aedes sunt ceteris excelsiores , & magnifice ex-  
 structæ, prospectibus exornatae mirificis, & opere, &  
 operis materia , longe post se aedificia tenuiorum ho-  
 minum

*hominum relinquentes , ut mos est superborum , qui  
primas semper sibi vindicat . Virg . Aen . II .  
Barbarico postes anro , spolijsq . superbi .*

*Limina autem , inquit , non aedes . partem capiens  
pro toto .*

Sed , quid , si dicamus , emphasis in hac uoce quan-  
dam esse ? Non inquit , Aedes , sed , *Limina* . Forte ,  
quoniam mos est in primis , atque exterioribus , fere  
aedium partibus commorari eos , qui potentes obser-  
uare solent : cum potentiores soleant in penitioribus  
aedium locis degere ; non facile intus admittentes eos ,  
qui ipsos appellatum , atque inuisum , quotidie uen-  
titant . finunt eos in uestibulo commorari , multo an-  
te , quam sui copiam faciant , & alios intus admittant .  
Ob id forte inquit , *Superba limina* .

Alibi Horatius , nempe ode 14. lib . 11. uocat *Pani-*  
*mentum superbūm* , codem loquendi schemate .

Virg.

*Penetrant auulas , & limina regum .*

Et :

*Si non ingentem foribus domus alta superbis ,*

*Mane salutantem totis uomit aedibus undam .*

Magna quippe laus nobilibus erat , quamplurimos clien-  
tes , & pauperes , amicos habere , a quibus mane saluta-  
rentur , ad forum , curiamque , frequenti comitatu , de-  
ducerentur , atque reducerentur .

*Altas maritat populos : ]*

Adultos iam surculos adiungit arboribus . nobilia  
enim uina non nisi in arbustis gigni . longo aeuo iudica-  
tum est , teste Plinio .

*Propago* , est uitis uetula , defossa in terram , ut plures  
ex ea propagentur . *Adulta* autem , inquit . nisi enim pro  
pago adoleuerit , iam maritari arbori non potest . Vulgo

D adhuc

adhuc *Propagine* uocatur in nonnullis Italiæ locis ; et si alibi potius uocetur *Prōpane*.

*Maritare populos uitibus*, est, eas coniungere ipsis, ut coniungitur vir uxori.

Maritantur autem uites arborebus, non tam ut fructus edant, sed ut eos edant meliores. nisi enim coniungantur, aut admoueantur arboribus, humiliantes, redundunt quidem uvas, sed longe detersiores, cum non persentur ab aere, neque a Sole, quod magni interest, fouentur; ex quo fatuae sunt, nullum referentes saporem, & sero ad maturitatem perueniunt.

Sunt quidem arbores quaedam, hoc ingenio, & natura, ut steriles sint, nisi prope habeant alias quasdam, quarum propinquitate, occulta quadam naturae uia, fructum ferunt. Quod attinet ad uites, ita coniunguntur arboribus, ut uideantur ijs indigere ad fructus edendos; & ipsae, ut feminæ esse, arbores autem, ut mares. attamen, & uites dicimus maritari arboribus, & arbores uitibus. Et arbores uitibus carentes uocamus *Viduas*; & *Viduas*, uites arborum adminiculo orbatas. Sic Catullus dixit, *Vitem ulmo coniunctam marito*, in Carmine nuptiali, & uitem eo carentem appellauit *Viduam*.

Horatius uero, contra, Ode 5. lib. IV. Vlmum, populumque, viduas appellat, quae uitibus non sunt coniunctae, inquiens,

*Et uitem viduas dicit ad arbores.*

*Populos:* ] Arbores hæ sunt albae : ob id a Graecis diætae *Λεύκαι* : quo quidem eas nomine hodieq. uocant, lingua uernacula, Calabri, illam incolentes Italiae oram, quae Magna Graecia dicebatur. Inde *Candida populum* dixit Virg. in Moeride. Vitæ magis populus alit, testante Columella. *Species* (inquit uetus interpres) est hic posita pro specie, arbor pro arbore, populus pro ulmo : non enim

*popu-*

*populos, sed ulmos nitibus marisare, yustici consuere.*

*Altas Jalij legunt; Albas, ego nihil muto: cum mutationis caussam nullam uideam, uel fere nullius momenti,*  
*Commodus certe sensus elicitur. Sic quoque, cur Populos mutemus in Opulos, quod his mire gaudeant uites,*  
*non uideo. cum enim lectio ferri potest, mutanda non est.*

*Aut in reducta ualle mugientium*

*Prospectat errantes greges; ] Sensus; Videt armenda bouim, in uallibus pascentium. Sic Virg.*

*Mugitusq. boum, mollesq. sub arbore somni.*

*Non obstant.*

*Reducta autem, h. e. secreta, reparata, & etiam sinuosa, ex ueteri interprete. Ut illud, Reducta, sit, quasi seducta, hoc est seorsim ab alijs nimium expositis aeri locis a natura ipsa ducta.*

*Est autem Vallis Reducta, quae a montibus hinc inde concluditur.*

*Vel Reducta, h. e. recollecta, & replicata, quod est, in orbem ducta: ut sunt ualles pleraque, montes, & colles, undequaque ambientes.*

*Sic dixit Virg. Aen. I.*

*in sinus scindit se se unda reductos.*

Ideo placet etiam ultima interpretatio eiusdem interpres, dicentis, *Reducita*, hoc est, sinuosa, quod idem est dictu, ac Orbiculari. cui mire quadrat Virgilij locus a me adductus. Sed idem interpretatur etiam *Reducita*, hoc est, depresso. quod non ita mihi probatur. quis enim ignorat, ualles omnes esse depresso, cum sint in radicibus montium? Sic idem Horatius Ode 17. lib. I.

*Hic in reducta ualle caniculae*

*Vitabis aestus. Qui locus confirmat expositionem mihi probatam: hoc est, recollecta, & montes undequaque ambiente. in huiusmodi enim uallibus, & longe*

D 2 pro-

prospicere possumus , & caniculae aestum vitare, quin etiam hiberno tempore a uentis esse tutiores, si claudantur montibus .

*Mugientium ] Boum.* Per eorum propriam uocem eos significat .

*Prospectas ] hoc est , longe, seu procul, spectat.*

*Errantes ] hoc est, libere pascentes. Sic Virg.in Tityro:*  
*Illo meas errare boves .*

*Errare autem, ut libere pascere significat in bovis, sic in alio pecore gregatim ingrediente, non id omnino significaret, neque de uniuerso grege proprie dicetur, sed de uno, aut altero, ex grege illo . Ouis enim errare potius dicitur, cum amissa huc illuc uagatur.*

*Greges : ] De Bobus Greges dixit, cum Grex plerumque de pecoribus minutis intelligatur, Armentum uero de maioribus . Cum apposito tamen etiam ad maiora transferri posse illud, monent Grammatici, tamquam generalius nomen . Ideoq. ad distinctionem adiecisse Horatium, *Mugientium*. *Greges* igitur, id est armenta. Grex enim, ut dixi, minoris pecoris multitudo est; Armentum autem maioris, ut boum, equorum, &c.*

Est profecto periucundum, in reducto, & seposito, loco, atque opaco, quo nimirum folis radij non pertingant, ut sunt reductae dalles, longe animalia prospicere, pascentia, & herbam uirentem . nam & animalium tardi gressus uisum leniter mouent, & uiridis herbae color oculis tum iucundus, tum etiam saluber, est.

Recte autem dixit Horatius, *Prospicit*, hoc est procul adipicit . quarundam enim rerum facies non ita solet oblectare, & oculos tenere conspicientium, si proximae sint . quis enim ignorat, collum, ac montium, & cuiuscumque tractus, ac regionis, longe esse iucundiorum, & gratiorum , prospectum, cum nimirum ea loca

de longinquo conspicimus, quam cum ea uidentes, per  
dibus terimus? hoc inde fit, quod longe positi plura ui-  
demus, quod oculos mire afficit, nempe rerum uarie-  
tas; &, quae uidemus, longe uidentur pulchriora, cum  
earum rerum uitia, propter longinquitatem non animaduer-  
tantur, sed summa rerum facies, plerumque iucundior,  
oculis legatur. Id euenire uidemus etiam in picturis.

*Inutilesq. falce ramos amputans,*

*Feliciores inserit.]* Sensus: Aridos, & inutiles, arbo-  
rum ramos falce putatoria amputat, siue circumcidit,  
nouosq. calamos inserit.

Hi duo uersus prouersus cōsequi uidetur superiores illos,

*Ergo aut adulta uitium propagine*

*Altas maritat populos.*

Sequi enim uidentur: magisq. conuenit his subdere:

*Inutilesq. falce ramos amputans,*

*Feliciores inserit.*

His postea annecti possunt hi:

*Aut in reducta ualle mugientium.*

*Prospectat errantes greges.*

*Quos recte consequuntur hi,*

*Aut pressa puris mella condit amphoris;*

*Aut sondet infirmas oves.*

Licet in scriptis, quos uiderim, omnibus ordo sit,  
qui est in uulgatis.

*Inutiles]* Steriles, infructuosos. inquit interpres.

Praecipuu[m] enim arborum usus est fructus, quem ni-  
si reddant, inutiles dici possunt.


Opponit autem Inutiles Felicioribus.

*Amputans,* ] Putare, est, inquit Varro lib. v. de ling.

Lat. *purum facere*. Igitur, *Amputare ramos* est, expur-  
gare arbores, & hoc modo puros facere.

*Feliciores]* hoc est, fertiles, ut & in eo uersu Virgilij,

*Exst*



*Exiit ad caelum ramis felicibus arbores.*

*Felix* autem dicitur arbor fertilis, ut diximus, eo quia fine suo, qui est ferre fructus, minime frustratur. quae enim suū consequuntur finē, ea certe feliciasunt omnia.

Felici autem opponit Horatius Inutile.

Poterat etiam opponere Infelix, cum Infelix significet Sterilem.

Sic apud Liuium: *Arbori infelici reste suspendito.* Et apud Virg.

*Infelix lolium, & steriles dominantur auenae.*

*Inscript:*] Insitionem casum docuisse, scribit Plinius, in hunc modum: *Agricola sedulus casam saepis munimento cingens, quo minus putrescerent fudes, limen subdit ex edera. at illae, uiuaci morsu apprehensae, suam ex alieno fecere uitam, apparuitq. truncum esse pro terra.* Ibiq. plura de duplicitate, & tempore insitionis.

*Aut pressa puris mella condit amphoris;*

*Aut tondet infirmas oues:*] Aut, inquit, mel condit, ex apiarijs collectum, aut tondet oues. Hucusque tria haec habemus. nam aut is, qui rure degit, operam dat inferendis, & expurgandis, arbōribus, aut maritandas uitibus, quod est iucundum, ob spem futurae uindemiae, & utilitatem respicit, sed futuram. Aut mel colligit, & praesentem, utilitatem spectat. Aut oculos oblectat, quod est merae uoluptatis. Laudat igitur à iucundo, & ab utili.

Sunt autem tria bonorum genera (ex Aristotele in Rheticis)

*Iucundum,*

*Vtile,*

*Honestum.*

*Pressa mella*] Pressa, hoc est, expressa: nam pressis fauis mella defluunt. Premuntur enim taui, exprimuntur

tur uero mella. De natura, generibus, probatione, melis, & mellationis temporibus, multa eleganter scribit  
Plinjus lib. xi.

*Puris*] defaecatis, & mundis.

*Condit*] reponit. Hinc omnia, quae in amphoris reponuntur, *Condita* etiam uulgo uocantur. Haec melis collectio a ueteri interprete uocatur, unico uocabulo, *Mellamesio*, quasi Mellis messio, idem, quod *Mellatio*. Graece Μελιτωνις, sed apud nemine alium legitur. Est profecto ex ijs uocabulis, quae uulgo tum temporis usurpabantur. Nonnulla quoque & Graeci ueteres interpretes in suis Commentarijs uocabula afferunt, quae apud ueteres Graecos scriptores non reperias. non enim omnibus, quae in loquendo usurpamus, uocabulis in scribendo utimur. Sic etiam idem interpres, explanans sequentem uersum, *Ant tondet infirmas oves, annotat, illud opus, Lanitondium, dici.*

*Amphoris*] Vasis. Graecorum est uocabulum, Latinis etiam usitatum. Graece, Ἀμφορῶς, ab ἀμφὶ, & φορίω, quod circumferri possit huc, illucque.

*Ant tondet infirmas oves:*] Oves tondendas circa iix. Kal. Iul. cum longissimus dies, & nox breuissima, solstictium conficiunt, tradit Plinius.

*Infirmas*, autem, fortasse, quoniam sui curam gere ne sciant, neque saluti suae prouidere, praecipue cū onustae sunt uelleribus suis, & grauatae. Nisi maluerimus (inquit interpres) dicere eas naturaliter infirmas, id est parū firmas, hoc est, delicatas. cum huiusmodi pecus naturaliter infirmum sit, & nobis obnoxium.

*Vel, cum decorum mitibus pomis caput*

*Autumnus arnis extulit,*

*Vt gaudet insitua decerpens pyra, &c.]*

*Vel, inquit, Autumnali tempore, quam gaudet, quan-*

ta perfunditur laetitia , pyra decerpens, uiasque, & ceteros fructus, laborum mercedem suorum ? Arnis, legitur in septem meis. Agris , in quinque.

*Decorum caput,*] hoc est , decoratum , & exornatum pomis. Autumno enim poma colliguntur , quae Graecis eodem, quo Autuinnus , nomine dicuntur, nempe διωρέα . Ideo depingitur Autumnus capite pomis, atque uuis, exornato.

*Mitis pomis ] Mitis, hoce est, maturis.*

Virg. Tityro:

*Sunt nobis mitia poma.*

*Sic Mites uinas dixit Virg. Georg. i.*

*Heu male tum mites defendet pampinus uinas.*

Et idem, *Mitem vindemiam*, lib. 111.

*Mitis in apricis cogitur vindemia campis .*

Hoc epitheton est translaticium, sumpta ab homine metaphorā . Et non solum transfertur ad fructus , sed & ad res ceteras inanimes, ut ad terram. Vnde Horatius:

*Mite solum Iberis, dixit;*

Item Virg. *Mitem Tibrin.*

Et hic noster uerbum cognatae significationis animatis rebus adiecit, lib. 1 v. ode 7. inquiens ,

*Frigora mitescunt Zephyris.*

Dicitur autem, *Pomum mite* , cum est maturum , quod sit tractabile, & se uesci patiatur : ut *Mites homines*, qui tractabiles sunt , & facile omnes perferunt, ac patiuntur, ut *Ramphilus Terentianus*.

Contra , *Immitem uiam* , h. e. acerbam , hic noster uocat, Ode 5. lib. 11.

*Tolle cupidinem*

*Immitis uiae.*

Et Plinius, *Immitia poma.*

*Poma*, autem hic, non mala solum , sed & poma , & uias,

uuas, & cetera intellige, quae tenuerunt sunt cortice. Licet non desint, qui fructus durae corticis etiam Poma vocent, ut nuces, castaneas, amygdalas, & cetera huiusmodi.

Describit hoc loco Horatius Autumnum, & per prosopopoeiam illi personam attribuit more poetarum.  
Est autem sententia, ut dixi: Cum Autumnus uberes, & dulces, fructus produxit.

*Vt gaudet*] hoc est, quā laetus est, quā afficitur uoluptate, pyra ex arboribus decerpens, suam manu infatis, ac purpuream uuam?

Triplex ostenditur uoluptas. Primum, quia poma ex arboribus recentia colliguntur; Deinde, quia propria manu; Postremo, quia ex ijs arboribus, quae tu inseueris.

Pomum enim, recens, optimum; Propria manu decerpsum, iucundius, & nescio quo modo uidetur sapidius; At, si ex arbore, quam tumet colueris, & in quo non-nihil laboraris, iucundissimum est. *Vt* positum est, pro Quam.

*Institua*] quae insita sunt. Bene dicit *Institua*, (ait interpres) quia ex semine nata degenerant, & fiunt agrestia.

*Dicerpens*] proprie, summis captans digitis. *Certantem & uuam purpurae.* Est Graecismus. Certo enim, Graece dandi casum plenumque exigit. ut,

*χαλεπάτερον οὐδονī μάχεσθαι, οὐ ευμῶ.* Sic apud Hom. I. A.

*ἀνθεράσιν μάχεσθαι.*

Et I. A. B. *οὐδὲ μάχεσθαι ἀνθεράσι παύροτέροισι.*

Et Demosthenes, *μάχεσθαι τοῖς πολιμοῖς.* Sic & apud Virg.

*Solus tibi cerset Amyntas.*

Horatio autem Familiares Hellenismi.  
 Ode 6. *Viridiq. certas bacca Venafro.*  
 Et Ode 1. *Luctantem Icarijs fluctibus Africum.*  
 Et Ode 3. *nec timuit praecipitem Africum*  
*Decertantem Aquilonibus.*  
 Et Ode xi. Epod. *Definet imparibus certare summo  
sus pudor.*

Et Sat. 5. lib. 2. *- haud ita Troiae*  
*Me gessi, certans semper melioribus.*  
 Et 7. *Altercante libidinibus tremis ossa paurore.*  
 Sic & Virg. Georg. 2.  
*Nec pulcher Ganges, atque auro turbidus Hermus,*  
*Landibus Italiae certent.*

Lucr. lib. III.

*Quid enim contendat hirundo cycnis?*

Hor. ep. x. lib. 1.

*Non qui Sidonio contendere callidus ostro*  
*Nescit Aquinatem potentia ueller a fucum. &c.*  
 Et ep. 18. eiusd.  
*Mibi contendere noli.*

Et Catull. *Noli pugnare duobus.*

Sed & Virg. *Pugnabis amori.*

*Certantem autem purpurae:* hoc est, colore si-  
 millimam purpurae, & purpureum colorem ostentan-  
 tem, rubram. quia quid potest esse tum fructu laetius, tu  
 adspectu pulchrius? Et non solum poma delectant sa-  
 pore, sed & colore.

*Qua muneretur te, Priape, ] Priapus, Dionysii, &*  
*Naiadis, Nymphae, uel Chionae, filius dicitur fuisse.*  
*praeterea non longe a Lampsaco urbem sui nominis*  
*condidisse.*

*Praeponebat agris, hortisq. custodiendis, atque e*  
*ligno fingebat, duo habens tela, falcem, & palum, seu*  
*panem,*

penem, quibus fructuum fures castigabat. Vnde apud  
Virg. de se ipso ita loquitur :

*Hic me custodem fecundi nullus horti*

*Mandati curam iussit habere loci.*

Et apud hunc nostrum, Sat. 8.

- deus inde ego furum, animumq.

*Maxima formido. nam fures dextra coerces.*

*Ast importunas uolucres in uertice arundo.*

*Terret fixa, ueratq. nouis considere in hortis.*

Tamquam igitur hortorum deus, uua donabatur, & ceteris fructibus; quibus & Siluanus, tutor finium.

- et te, pater

*Siluane, tutor finium.]*

Siluani tres fuerunt.

Vnus dicebatur domesticus, possessioni consecratus;

Alter, agrestis, pastoribus;

Tertius, orientalis, cui est in confinio lacus positus; a quo inter duo, pluresue fines oriuntur. ideoq. inter duo, pluresue est lacus.

Omnis autem possessio quare Siluanum colit? quia primus in terra lapidem finalem posuit. *Finium* igitur, idest terminorum, quibus agri distinguuntur. Haec ex scriptoribus de limitibus.

Siluanum Virg. quoque in xi. x. aruorum, pecorisque, deum uocat. Ibiq. Seruius annotauit, *Publicam caerimoniарum opinionem hoc habere, pecorum, & agrorum, deum esse Siluanum.* Alij tamen dicunt, eum esse θεόν, hoc est, deum nūsūns.

*Liber iacere modo sub antiqua ilice,* ]

Nunc uenit ad uoluptates agricolarum, quibus illi incredibiliter delectantur. Quo autem antiquior ilex, eo grandior, patulaq. magis, umbramq. efficiens maiore

iāceptibūs, aut quōuis pacto rēcubantibūs, gratissimā.  
Ille uero recubitus, profecto, suauissimus est, ex adiun-  
ctis. non solum n. corpus labore defatigatū reficitur,  
sed & sensus omnes recreantur, praeſertim auditus,

aquarum sonitu labentium,

cantu avium,

strepitu fontium.

quae non solum uoluptati sunt, sed & somnum con-  
ciliant.

[Modo in tenaci gramine.]

Tenax uocat grāmen, eo quod terrae firmiter haeret.  
Iacere in gramine, inquit Horatius. Lucretius autem  
lib. v. ait, Mollī gramine prostratum esse.

Labuntur altis interim ripis aquae :]

Fluminum periphrasis.

Altæ autem oripae, flumina significant profunda. In-  
quitque, Labuntur interim, hoc est, labentes interim  
audit aquas: Fluviales enim aquæ non solum labuntur  
interim dum aliquis iacet interdiu, sed perpetuo, & ir-  
requito, lapsu, fluunt. Duo libri mei habent, Rīnis,  
nōn Rīpiis, quod quibusdam magis probatur.

[Queruntur in silvis aues:] Ita, inquam, canunt, ut queri uideantur. etsi hoc  
alij resellant.

Ego existimo, cum haec diceret Horatius, respexisse  
Lusciniā, quae Philomela dicitur, cuius suauissimus est  
cantus: is tamen Luctus est a poetis interpretatus. ut  
propterea Luscinia dicta sit, quod lugens canat.

Flet Philomela nefas incesti Tereos;

Muta puella fuit, garrula fertur auis.

Vt ait Mart. lib. x iv.

Hoc igit̄ pacto Horatius specie pro genere sumpsisser.

An uero, Queruntur, dixit, quia, ex interprete, ueteres  
omnium

omnium animalium uoces , praeterquam hominum ,  
*Querellas uocabant: hinc Querulae cicadae, Maro: Querella ranarum: & de bobus; Atque omne querellis Impleri nemus.*

Apollonius Thyaneus, Auium cantum , sermonem eam  
 rum dicebat eis, & cum optime se intelligere profi-  
 tebatur .

*Fontesq. lymphis obſtrepunt manantibus,*

*Somnos quod inuitet leues.]*

Hic τὸ Obſtrepunt , non capitur pro , contra strepunt,  
 sed pro simplici Strepo. non solum enim fontium strepi-  
 tus non aduersatur somnum captantibus , sed mirifice  
 conduit . Sicuti autem uehementes sonitus , ac strepi-  
 tus , somnum fugant , sic contra mediocres & auribus  
 non ingrati, & quod caput est , aequabiles , cum nobis mi-  
 rifice conciliant .

*Leues somnos.]* quia meridiani somni leues , graues  
 autem nocturni . Eo quia , fatigato corpore , longo in-  
 tervallo temporis silentibus omnibus , facile sensus o-  
 mnes ueluti obstupescunt , ut mortuo simile hominem  
 reddant . Male ergo interpres Leues interpretatur secu-  
 ros , & iucundos . Somnosq. inuitant leues , unus .

*Inuitant, quattuor. Somnos inuitent quod leues, tres.*

*At, cum tonantis annus hibernus Iouis.*

*Imbres, niuesque, comparat;]*

Hiberni temporis commoditates , oblectationesque ,  
 nunc refert . At uero , cum , inquit , accessit hiems , uarijs  
 animum uenationibus oblectans , & corpus exercens ,  
 malas omnes , & pernicioſas , ex animo fugat cogitatio-  
 nes , quas affert nobis , atque alit , otium .

Probauerat Alcius ab utili , & a iucundo , seu delectabili ,  
 rusticam uitam esse amplexandam . Supererat , candem  
 ab honesto commendare . id quod erat potissimum .

nam

nam utile, & iucundum, mouet, atque impellit, ad aliquid agendum, eos tantum, qui aut uoluptatem in omni re sequuntur ducem, omnia ve nō uirtute, sed uoluptate, metiuntur, aut nihil aggrediuntur, quod cum utilitate coniunctū nō uideatur: at uero eos, qui uirtutē colunt, nihil ad se amandum pertrahit, atque allicit, nisi quod honestum sit. est enim uirtutis comes honestas.

Ita dicere possumus, Alfium hic inductum uitam rusticam omni hominum generi, sectae, aetatis, doctis, sapientibus, paucis, plurimis, uulgoq. ipsi, probauisse. quodcumque enim est genus hominum, quaecumque uiuendi ratio, quaecumque philosophandi uia, uel utilitatem, uel uoluptatem, uel honestatem, sequatur, ac ubi colendam proponat, necesse est. illud igitur, quod & utile, & delectabile, & honestum, est, omnibus aequre probandum. Praeterea, dicere possumus, Horatium sub Alfij persona eo uti artificio, ut primum ab utili, & iucundo, deinde uero, ac postremo loco, ab honesto, rusticæ uitæ condicionem, ut ad felicitatem nos facilius ducentem, urbanae esse anteferendam, nc bis suadeat. Ni si igitur primum huic uiuendi rationi ea bona inesse ostendisset, quae apud homines, etiam prauos, & corruptos, prima ducuntur, certe opinionem, ac sententia suam de rusticæ uita persuadere minime potuisse. Simili etiam arte utimur cum pueris aegrotantibus, dum ijs aliqua sumienda damus medicamina; ea in primis dulcia esse dicentes, cū ipsi potissimum dulcedine capiantur.

Sed, quaenam est in his uersibus honestatis ratio demonstrata? ea potissimum, quod rusticæ exercitaciones abducunt nos ab omni mala, ac turpi, uoluptate, ac potius corpus ipsum ad uirtutem firmant, quam ad vitia molliunt, ac effeminant.

Occurrit autem tacite obijcienti Horatius, ac dicēti,

ti, ius quidem aestate, & autumno potissimum, esse iucundum habitatu, ac longe urbi preferendum, at uero hieme esse insuauissimum, itineribus iam, prae nimio coeno, ac luto, inuijs, agro etiam omni orbato ue-nustate florum, ac uarentium arborum consumptis fructibus, squalenti deinde uniuersa terrae facie, ac pulcherrimo eius adspectu uehementer immutato, rebus etiam ad uitam necessarijs quotidie deficientibus. Respondet, inquam, huic Horatius, inquiens, ius esse non minus hiberno tempore iucundum; si quidem est in uationibus iucunditas, quae ea tempestate fieri solent frequentissimae.

*At, cum tonantis &c.]* Annus hibernus, hoc est, anni tempus hibernum. hiems, uidelicet. Et est descriptio hiemis his duobus uersibus:

*At cum tonantis annus hibernus Iouis  
Imbres, niuesque, comparat.*

Iouem tonantem hic uocat aerem.

Iuppiter autem aeri praesesse dicitur. & ob id ei fulmina in manibus pictores, & poetae, posuerunt: quoniam in aere & fulmina, & fulgura, & tonitrua, fiunt; & frigora quoque. Inde Ode 1. *Iouem frigidum* dixit. & Virg. Georg. 1. *Iouem humidum.*

Hiems autem, est annus Iouis tonantis; ut Aestas, Iouis sereni. Fortasse Horatius cum hieme, quae so lis quattuor mensibus definitur, ultimum autumni, & primum ueris tempus computat, quibus praecipue & fulgurat, & tonat, & fulminat.

*Comparat;* ] colligit.

*Aut trudit acres hinc & hinc multa cane*

*Apros in obstantes plagas.* ]

hoc est, multis canibus. Sic Ode 15. lib. 1. *Multo milite,* dixit. Er Virg. Acneid. lib. 11.

*Virum-*

*Virumque armato milite complevit. Et hic noster eodem  
schema, Ode 5. dixit, Argo remige, pro, Argois remi  
gibus. Compellit, inquit, & extrudit, apos in op  
positas plagas, eos canibus insectans. Acerrimum au  
tem esle aprum in uenatione, nemo nescit,*

*Aut amite laeni rara tendit retia,*

*Turdis edacibus dolos ; ]*

*Amite laeni, hoc est, pertica, seu furcula aucupali,  
ut inquit Festus: & furcula, ex qua rete suspenditur ad ca  
piendas aues, ait interpres.*

*Turdis ]. Turdi, aues sunt praecipui saporis, in ca  
cuminibus arborum nidificant luto, sermonem huma  
num imitantur. Graeci κίνας uocant.*

*Pavidumq. leporem, & adueniam laqueo gruem,*

*Iucunda captat præmia. ]*

*Lepus, est animal pauidissimum, & ualde timidum,  
& meticulosum: adeo, ut, Leporis uitam uiuere, pro  
uerbio, dicantur, qui semper anxij, trepidique, uiuunt.  
quod id animal, omnium praedae expositum, ne so  
mnum quidem capit, nisi oculis apertis. Natura autem  
ei optime consuluit, armis eum donans, suae pauiditati  
omnium aptissimis. Qui enim natura pauidus est, si in  
hostes incidat, nulla re sibi melius consulere potest,  
quam fuga. Pedes autem homini pauido sunt arma o  
mnium praestantissima, quibus animalia huiusmodi sibi  
quaerunt salutem. Porro autem, sicuti pauidis, & me  
ticulosis, animalibus, aufugiendi, & euadendi, non pu  
gnandi, ac inuidentium impetu sustinendi, arma pre  
buit, ac fabricata est natura: sic contra, animosis, au  
dacibus, fortibus, non tam fugiendi, quam impetum  
propulsandi, atque etiam uim ui repellendi, tela para  
uit, ut Canibus dentes, atque Apris, Leonibus ungues,  
Equis pedes, Tauris cornua, & alijs alia. Haec opti  
me,*

me, & eleganter, a Galeno differuntur in principio lib.  
 i. de usu partium; in quibus rationeem sigillatim, ac di-  
 ligentissime, reddit, quorū sum unaquaeque pars nostri  
 corporis a natura fabricata fuerit. In quo illud etiam  
 legitur pulcherimum, nempe hominem ipsum nullis  
 armis a natura donatum, sed nudum, & inermem, esse  
 factum; neque ob id accusandam esse naturam, quod  
 homini, sapientissimo, ac dignissimo, animalium, ar-  
 ma denegarit, immo vero eam esse laudibus prosequen-  
 dam, ut quae homini uidetur optime omnium consuulit  
 se; cum ei omnia omnium animalium arma uni conces-  
 serit, quibus is omnia expugnare, & sibi ipsi subdere,  
 possit; cum ei primum rationem omnia excogitandi, &  
 manum omnia a ratione excogitata fabricandi, dederit,  
 hac una sibi fabricat homo omnia omnium animalium  
 arma, & ea praeterea, quibus animalia omnia subiiciant,  
 & ijs ut seruis utatur, ab ijsq. uictum, & ab ijs uelutum,  
 sibi comparet.

*Aduenam laques gruem, I Grues e longinquo, nim-  
 rum a mari Eoo, proficisci, & aestatis aduenas esse, scri-  
 bit Plinius.*

Gerunt bellum cum Pygmaea gente.

Quando proficiscuntur, consentiunt.

Volant ad prospiciendum alter.

Ducēm, quem sequantur, eligunt: ubi ni mūmīzāt

In extremo agmine pēr uices, qui acelament, dispositi-  
 tos habent, & qui gregem uoce continent.

Excubias habent nocturnis tempotibus, lapillum pe-  
 de sustinentes, qui laxatus somno, & decidens, indili-

gentiam coarguat. ceterae dormiunt, capite subter alā  
 condito, alternis pedibus insistentes.

Dux erecto pro-  
 uidet collo, ac praedicit. Hinc, quod Grus aduenas sit,  
 dicitur exotica avis. nam singulis annis nobis aduenit;

Ques

F ait

ait interpres. [nisi tuum est] Quis non malorum, quae amor curas habet, [nisi] . . .  
ib. *Haec inter obliuiscitur?*] *Quis non inter has uoluptates obliuiscitur omnium molestiarum, & incommodorum?* Intentum honestis exercitijs hominem, qui uitae rusticae se dedit, ab amore abesse, & ab ijs curis, quae amantes uexant, ait. *Otium enim, malorum mazimorum cauila est.* & praecipue amoris ueluti fons, & origo. Inde dicitur. *Si tollas, perire Cupidinis artes.*

*Vel Amor, habendi hoc est, auaritia, quaे urbanos, anxious, & sollicitos reddit, ut ait interpres, quod non placet, cum Amor absque alia adiectione intelligi soleat de amore uenerio.*

*Quod si pudica mulier in partem iunet*

*Domum, atque dulces liberos*

*Sabina qualis, aut perusta solibus*

*Pernicis uxor Apuli,*

*Sacrum uerbis exstruat lignis focum*

*Lafsi sub aduentu niri;*

*Claudensq. textis cratibus lactum pecus,*

*Distenta siccet ubera;*

*Et horna dulci uina promens dolio*

*Dapes inemptas apparet*

Maximum in aduersis solarium praebet hominibus uores, praesertim quae leges probaram mulierum seruat; quae ab Aristotele Oeon. lib. x. cap. x. describuntur; sq. Viris autem labori mulieribus munditiae conueniunt, ut ait Marius in coacione apud Sallustium, in Jugurtha. *Cuius rei eam esse causam dixerim, quod minus caloris habeant mulieres,* ideoq; magnis rebus petracundis, ad quas requiritur audacia, non sint tam idoneae.

Quae sit functio, & officium, castae, ac sedulae, uxoris, rusticae, diligenter describit hic Horatius. Quid, si &c. est in libris meis. Ut legatur cum interrogatione. Non male. O pueris ubi in agro? In parte inuenit? Quod si habeat uxore rusticus, quae sedulo maritum suum in augenda re familiari, & educandi liberis, iuuare uelit, & diligenter culinam, & pecora, domi curet, ut faciunt mulieres Sabinae, & Apulæ.

Dulces liberos. ] Haec n. prima, & praecipua debet esse cura bonae matris, ut probet, & liberaliter, suscepitos liberos educet, diligenterq. ad labores assuefaciat. Sic apud Virgilium Aen. 2. vixit enim in ruris apud E.

Et dulces natos, ex opere atque parentem. Qualis Sabina, aut uxor Apuli. In ruribus multo liberi Sabini, & Apuli, Italiae sunt populi, fortes, & strenui. Horum uxores dicit esse pudicas, & rerum domesticorum ualde studiosas, optima profecto commendatione. Sabinorum autem uirgines, quas Romulus rapuit, viros suos adeo dilexerunt, ut pacem inter Sabinos, Romanosque, facerent.

De Sabinorum probitate referam hoc loco, quae scripsi olim in epistola quadam ad Illustrissimum, & Reuerendissimum Cardinalem Amulum, iam edita in libro de Quæstis per epistolam. Ea autem sunt Probitatis fama ita Sabini homines floruerunt, ut eis omnia tuto committi posse uiderentur. itaque Cicero in quadam ad Trebonium epistola ita scripsit: Oratorem meum Sabino suo commendavi, natio me hominis impulit, ut ei recte putarem, nisi forte candidatorum licentia bia quaque insueta hoc subito cogitamen arripuit, et si modestus eius multis, sermoq. conuersus, habere quiddam a Curiis uidebatur. Nimirum & Virgilius ad integratem spectauit, cuin dixit lib. lxx.

**Curibusq. feneris:** Et Statius Silu. lib. 1 v. Et Horatius rigidos Sabinos; Ouidius *terricas* Sabinas vocavit; & alio loco *incusas*: quod est indicium pudicitiae. coluntur enim eae, quae placere capiunt. qua de re sic Iuuenalis Sat. x.

**Sanctoris licet horrida mores**

**Tradideris domus, ac uereres imitata Sabinas.**

**Item Martialis lib. 1.** **Casta nec antisquis cedens Laenina Sabinis,**

**Et quamvis tetrico tristior ipsa utra.**

**Peruilla solibus**] hoc est, fusca, & subnigra: quod est indicium sedulae mulieris rusticacae, nullum sudorem, aut

**calorem, in expediendis negotijs defugientis.** **Sacram focum**] nemp[er] diis penatibus consecratum.

**Iuxta focum dii Penates positi fuere, Larèsq. inscripti;** scicteco; quod aræ deorum Larium focus sit habitus, ait

**Interpres.** **Vetus**,] hoc est, defiscatis, non recentibus, quae præ uitiditate, cum ignem sentiunt, ualde sumant. sumus autem est odiosissimus: ut non male dictum sit, duo praecipue domino nos pellere, sumum, & malam conjugem.

**Lassi sub aduentum viri,**] Debet curare uxor, ut, uesperi redeunte marito fesso, & famelico, splendeat focus, quo illum, spe lauioris, & largioris, cenae, consoletur. Memini aliquando quandam dicere, diligenter feminæ esse, viro domum revertente, ad minimum unam ollam habere apud focus, uel uacuam; ne, si uideat nihil apparatus, ringatur.

**Textis cratisibus**] Crates, caulæ sunt ex uiminiibus contextæ, quibus noctu clauduntur, & a ferarum incur-

fione

sione muniuntur greges.

*Lactum*] secundum, fertile.

*Hornum*] nouella. Hornum autem, hoc est nouellum  
vinum est sapidius ueteri.

Dapes inemptas appetit; ] non emptis, sed labore  
partis, epulis, meniam extruat. Nam bonam ma-  
trem familiam non emacem, sed uendacem, esse  
oportet.

Huc etiam allusit Virgilius:

Nocte domum, dapibus mensas onerabat inemptis.

Non me Lucrina iuverint conchylia,

Magis uerhombus, aut scari;

Si, inquit illa, quae  
superius commemorata sunt, adsint commoda, non mi-  
hi lucundiores fuerint opiparæ mensæ urbanæ rusticis  
mensis: nam mihi parabilis uictus, ac domi factus, erit  
gratior exotico, & exquisito.

Ostendit igitur, se rusticorum ferculis plus delectari,  
quam lautissimis, & exquisitissimis, diuitum cibis.

*Lucrina conchylia*] In lacu Lucrino capta. Sic Sat. 4.  
dixit, *Lucrina peloris*.

Lucrina autem conchylia maxime excellebant.

*Conchylia* sunt testacea omnia, ut, ostrea, pectines,  
echini. qua quidem uoce utitur etiam uernacula nostra  
lingua. Certe pictores, qui testis utuntur, in qui-  
bus colores seruant, hac uoce utuntur, dicentes *Co-*  
*chigli*.

Athenaeus huius etymon uocis ita deducit, ut uelit  
*Conchylia* dici *κοχύλια τὸ κεχωνίῳ*, id est ab hiando.

Ostrea hic intelligit. nam ostreis Lucrinis optimum  
saporem primus Sergius Orata adiudicauit, quando ea-  
dem aquatilium genera aliubi, atque aliubi meliora, te-  
ste Plinio.

*Inserint h. e. iucunda fuerint.*

*Magis ne rhombus, ] Pisces, est planus, Plin. lib. ix.  
cap. 20 & Colum. lib. i x. cap. 16. Rauennae optimus, teste Plinio lib. i x. cap. 54. & Iuu. sat. 4. & Ouidio, cuius haec sunt:*

*Hadriaco mirandus litore rhombus.*

Olim in delicijs habitus. Sed & Venerijs maximi fit. Est autem Rhombus, & Graecum, & Latinum, & uernaculum uocabulum. Dictus & ~~titra~~. Vide Athenaeum lib. vi 1. & Plinii lib. ix. cap. 42. Et est ex eo dictus, quod figura sit rhōmbi. Est autem Rhombus figura quadrilatera, quae tamen recti angula non est, sic ut Rhomboides, quod in contrarium collocatas lineas, atque angulos habet aequales, non autem rectis angulis, neque lateribus aequis continetur: habet enim duos angulos aduersos acutos maxime, duos reliquos itidem appositos obtusos maxime. Potestis hanc figuram apud Euclidem legere in principio suae Geometriae, in quo traduntur definitiones Geometricarum figurarum. Propterea dixit Martialis:

*Quamvis lata gerat patella rhombum,  
Rhombus latior est tamen patella.*

Namque, cum sit quadrilaterae, hoc est Rhomboides, figurae, iure latior esse potuit patella.

Facit eius mentionem Plin. lib. xxxii. c. ult, coniungens eum cum scaro.

Fuisse autem pisces non ignobilem, satis hic Horatij locus; praeter Plinium, declarat. opponit enim exquisita, & magno empta, cibaria, rusticis, ac parabilibus.

*Scari;*) Dictus ~~titra~~ okaijer, id est, salire. Naturam eius ita describit Diphylus, Latine redditus, apud Athenaeum lib. i x. Mollis, ac tenera carne praedi-

tus est, friabilis, dulcis, leuis, ad coquendum facilis, facile redditur, uentrem mollit. Addit idem, recentem scarum esse suspectum, propterea quod lepores marinos capiat, ijsq. uescitur, sic circaq. eius intestina uim bilis effectricem habent. Idem hunc solum ex omnibus pisibus dormire dicit. & propter eam caussam numquam noctu capi. Oppianus etiam lib. I. Halieut. eum solum uocalem esse scribit. Ceteri enim pisces, muta sunt animalia.

Is etiam ( auctore Arist. in 2. de hist. animalium ca. 17. & lib. I x. cap. 2. & Plinio, & Athenaeo) solus inter pisces ruminare creditur. Eum Plinius lib. ix. cap. 17 & lib. xxxii. cap. x i. Athenaeus lib. vi i. & Aelianus lib. ii. cap. 16. celebrat, ut sua tempestate principalem. Fuit Romanis in honore metilarum. Inde Ennius, apud Appuleium, Apol. I.

*Scarum praeterij, cerebrum lous paene supremi.*  
Sed operaе pretium est, recitare, quae Plinius de eodē recenset, cap. 2. lib. x x x i. inquit autē: *Mihi uidetur mira & quae Ouidius prodidit piscium ingenia, in eo nolamine, quod Halieuticon inscribitur: Scarum inclusum nassis non fronte erumpere; nec infestis uiminibus caput inserere, sed auersum caudae ictibus crebris laxare fores, atque retrorsum erumpere. Quem luctatum eius si forte alius scarus extrinsecus uideat, apprehensa mordicus cauda adiuuare nixus erumpentis.*

Galenus quoque Scarum inter faxatiles excellere suavitate sua tempestate scripsit. Et Nicander apud Athenaeum lib. v i. Scarum esse dixit multi nominis.

*Si quos Eois intonata fluctibus  
et semis ad hoc uertat mare. ] Si quos tempestas ab  
Oriente ad hoc mare nostrum impellat. Et hoc dicit,  
propter*

propter mare Carpathium, ubi Scarorum maxima est copia.

*Intonata*] hoc est, intonita: hoc est, tempestas concitata.

*Non Africana descendat in ventrem meum*, ] Gallinas Africæ intelligere uidetur, quae nouissimæ peregrinarum avium sunt in mensas receptae, ut legimus apud Plinium lib. x.

*Non Attagen Ionicus*

*Iucundior, quam lecta de pinguisimis*

*Oliua ramis arborum:* ] Attagen maxime Ionicus celebratur, quondam existimatus inter raras aues, ut Plinius lib. x. commemorat.

Plumas habet uarijs colorum maculis distinctas.

Quamobrem ab Arist. ~~πτερόποικλος~~ appellatur.

*Oliua*) Oleae arboris fructus.

*Aus herba lapathi, præ amantis, & grani*

*Maluae salubres corpori,* ]

Vt pulchre urbanam luxuriam hucusque notauit, ita nunc rusticorum frugalitatem commendat. De Lapatho, & Malua, herbis, multa scribit Plin. lib. xx. c. 21. De Lapatho haec interpres: *Lapathum herba in cibo sumpta stomachum confortat, uensrem purgas, urinam provocat, ruetum excitat, & nauscabundis comedendi audiicitatem reddit: nascitur in locis sabulosis, & planis.*

*Vel agna festis caesa Terminalibus,*

*Vel haedus creptus lupo.* ]

Terminus, deus fuit, pacis, & iustitiae custos.

Huius templū iuxta aedem Iouis opt. max. in Capitolio, primum a Numa exstructum, cui lacrum festis Terminalibus in agris, sexto ab Urbe miliario, sub patenti caelo fieri solebat. Et inquit, Festis: ut ostendat frugali-

frugalitatem rusticorum, qui carnibus uescuntur solum  
festis diebus.

*Aus haedus ereptus lupo.]* Haedus lupo ereptus uide-  
tur suauior, nō quia tenerior factus: (haedus enim satīs  
tener uidetur, dum haedus est, etsi a lupo morbus non  
sit) sed ideo suauior, quia, ut ait Acro, gratior factus  
est ex perduto. Quae enim perdidimus, si recupere-  
mus, gratiora sunt nobis: nam uidemur ea in lucro  
deputare.

*Has inter epulas, ut iuuat pastas oves.*

*Videre properantes domum; &c.]* Quam iucundū  
est, inquit, dum rure cenamus, uidere oves iam pa-  
stas domum redire citato gressu, ut moris est, ac bo-  
ues etiam languētes de labore diei, uernasq. sua obeun-  
tes munera.

*Ut iuuat]* Mirum quantum delectat:  
Iuuandi uerbum poetis frequentissimum, pro uerbo  
Delectat.

*Pastas oves]* Delectat uidere oves pastas, & repli-  
tas, domum redire; & contra, uidere boues redite laf-  
fos, ac defatigatos. Oves enim ex pastura, boues ex  
labore, nobis emolumentum praebent.

*Properantes domum;*] ad quietem, & ad refectum.  
Animantia enim omnia, licet, homine excepto, ratio-  
nis sint expertia, naturae tamen impetu quodam ferun-  
tur ad id, quod ad eorum conseruandam uitam est né-  
cessarium. non solum enim unicuique rei est a natura  
tributum, ut sit aliquid, sed ut se etiam in propria con-  
dizione seruet, & suimet interitum maxime auersetur.  
Properant domum oves quiescendi gratia, & somnum  
capiendi, cuius indigent ad uitam; boues autem non  
solum quiescendi, sed uescendi gratia. Sic obserua-  
mus quotidie, equos ex longo itinere domum redeun-

tiuilla

G tes

hic trouillus esar  
ouibus attribuit; q  
supra pagina z  
esse affirmavit.



43.  
res magis properare , ac festinare , quam domo abscedentes . laborem enim , ut malum , non homines solum , sed animantia omnia , auersantur .

*Videre fessos uomerem inuersum boves* p. 61. 70. 10. 11.  
*Collo trahentes languido: ] Id est , uidere boves arando fessos , confessio iam labore diurno , domum redire .*  
Sic Virg. l. 11. c. 11. 12. 13.

*Adspice : aratra ingo referunt suspensa iuuencis .*

*Positosq. uernas , ditis examen domus .*

*Circum rentientes lates . ] Vernas , seruos circa fortu sedentes : nam ad forum cenare solebant . quod hodieq. fit , in ea uita , quae sciuncta a curis fit , & procul absit a fastu . Est autem Verna puer dominatus , & procreatus , qui serui loco sit .*

*Renitentes , sex mei .*

*Haec ubi locutus fenerator Alfius ,  
od. Iam iam futurus rusticus ,*

*Omnem relegit idibus pecuniam , ]*

*Postquam haec de agriculturae laudibus dixit fenerator Alfius , suam fortunam pertaesus , statim rusticus fieri desiderauit . Ideoq. omnem pecuniam , quam fenerator erat , a debitoribus exegit , mercaturus agrum . Idibus autem dicit , quod olim idibus exigerentur usurae . Alij pro Relegit , probant Redegit , ut est in octo meis scriptis . Quod etiam mihi probatur , cum eo in hoc significatu Cicero non semel utatur .*

*Quaerit Kalendis ponere . ] Notat inconstantiam Alfi , qui statim ad ingenium , & pristinos mores , rediit . pulchre ostendens , quam periculosem sit , canem semel intestina degustasse . Alfi cuiusdam feneratoris habetur apud Columellam dictum illud , *Eona nomina non numquam mala fieri , si numquam interpellas* . Plinius etiam meminit Flavi Alfi cum Maecenate .*

Alludit



Alludit autem Poeta ad consuetudinem feneratorū,  
qui solebant in singulas Kalendas mutuum dare. Vnde & *Kalendarum* pro libro rationum, in quo feneratores nomina debitorum describebant. ut in 2. Pateron memoriae mandauit doctissimus, idemq. omnium doctrina, & moribus, elegantissimus vir Andreas Alciatus.

Arcadius Charesius libro singulari de muneribus ciuilibus, Dig. lib. L. tit. 4. de muneribus, & honoribus, l. 18. Munerum ciuilium: *Kalendarij quoque curatio, & quaestura in aliqua ciuitate inter honores non habetur: sed personale munus est.*



All' altra parte del mondo, dove le persone sono più  
sciolte e meno contrarie, si trova un gran numero di  
città, ma non tanto grande quanto quella di Roma.  
Le più belle sono quelle di Sicilia, che sono tutte  
conosciute per la loro bellezza, e sono state fatte da  
giovani, che avevano una grande passione per l'arte  
di costruire, e che avevano anche una grande  
esperienza in questo campo. Le più belle sono  
quelle di Siracusa, che sono state fatte da un  
grande architetto, che si chiamava Archimede.  
Queste città sono tutte fatte con pietre  
e mattoni, e sono tutte molto belle, e sono tutte  
fatte con molta cura e attenzione. Le più belle  
sono quelle di Siracusa, che sono fatte con  
pietre di granito, e sono tutte molto belle,  
e sono tutte fatte con molta cura e attenzione.  
Le più belle sono quelle di Siracusa, che sono  
fatte con pietre di granito, e sono tutte molto  
belle, e sono tutte fatte con molta cura e attenzione.



PLAGET . HOC . LOCO  
ADSCRIBERE . VIRGILII VERSVS  
GEORG . LIB . II .

Vt facilius possint conferri  
cūm Horatianis .



Fortunatos nimium , sua se bona norint ;  
Agricolas , quibus ipsa , procul discordibus armis ;  
Fundit humo facilem uictum iustissima tellus ;  
Si non ingentem foribus domus alta superbis apertis  
Mane salutans totis nomis credibus andam ; nulli  
Nec uxoris inhians pulchra restudine posles ;  
Illus asq . unro uelles ; Ephryei aq . uera , uiuere mib .  
Alba nec Assyrio fucatur lana ueeno ; mib . zre uox  
Ne uox asia liquidi corrumpitur . usus olinis ; nullis re .  
At secura quies , & nescia fallere uita , l ueris zre .  
Dives opum uariarum , at latis via fundis ;  
Speluncae , miniq . lacus ; ut frigida tempe , p riuas ;  
Mugitusq . boum , mollesq . sub arbore somni ;  
Non absunt : illis saltus , ac lustra ferarum ;  
Et patiens operum , t paruoq . affectu inuenius ,

Exiguos

Sacra

40  
Sacra Deum, sancti patres : extrema per illos  
Injustia excedens terris uestigia fecit.  
Me nero primum dulces ante omnia Musae,

O Quarum sacra fero ingenii percussus amare,  
Accipiant, caeliq. uias, & sidera, monstrent,  
Defictas solidis uarioꝝ fluminaq. labores AD CICILIA  
Vnde tremor terruꝝ quoniam maria alta tumescant  
Obijcibus ruptis, rursumq. in se ipsa residant:  
Quid sanctum Oceano properent se tingere Soles  
Hiberni, uel quid tardis mora noctibus obseret.  
Sin, has ne possim naturae accedere partes,  
Frigidus obliterit cirum praecordia sanguis,  
Rura mihi, & rigui placeant in uallibus amnes,  
Flumina amem, filiasq. inglorius; o, ubi campi  
Sperchiusque, & virginibus bacchata Lacaenis.  
Taygeta: o, qui me gelidis in uallisbus Haemis  
Sistat, & ingenti ramorum protegat umbra.  
Felix, qui potuit rerum cognoscere causas,  
Aique traxerit omnes, & inexorabile fasum  
Subiectis pedibus strepitumq. Acherontis anari.  
Fortunatus & ille, deos qui nouis agrestes,  
Panaque, Siluanumq. sonem, Nymphasq. sorores.  
Illum qam populi suscepit, non purpura regum.  
Flexit, & infides agitans discordia fratres.  
Aut coniurato descendens Dacus ab Istro z  
Non res Romanae, perit uaq. regna: neque ille  
Aut doluit viscerans anopem, aut iniudit habenti.  
Quos rami fructus, quos ipsa uolentia rura  
Sponie tulere sua, carpsit; nec ferrea iura,  
I. sanumq. forum, aut populi tabularia uidet.  
Sollicitaque remis freccae, ruruntq.  
In ferrum spenerant aulas, & limina regum.  
Hic pete excidit urbem, miserosq. penates, V

49  
Ut gemina bibat, & Sarrano dormiat astro.  
Condit opes alius, defossoq. incubat auro.  
Hic stupet attonitus Rostris: hunc plansus hiantem  
Per tuncos (geminatur enim) plebisque patrumq.  
Corripuit, gaudent perfusi sanguine fratrum,  
Ex sulcioq. domos, & dulcia limina mutant,  
Atque alio patriam quaerunt sub sole iacentem.  
Agricola incurvo terram & dimouit aratro:  
Hinc anni labor: hinc patriam, paruosq. & nepotes  
Sustinet: hinc armenta bovum, meritosq. iuuenios.  
Nec requies, quin aut pomis exuberet annus:  
Aut fetu pecorum, at Cerealis mergite culmi,  
Prouentuq. oneret sulcos, atque horrea usincat.  
Venit hiems, teritur Sicyonia bacca trapeatis:  
Glande sues laeti redeunt: dant arbuta siluae:  
Et narios ponit fetus autumnus: & alte  
Missis in apricis coquitur uindemia saxis.  
Interea pendent dulces circum oscula nati:  
Castapudicitiam seruat domus: ubera uaccae  
Lactea demittunt: pinguesq. in gramine laeto,  
Inter se aduersis luctantur cornibus haedi.  
Ipse dies agitat festos, fususq. per herbam,  
Ignis ubi in medio, & soci cratera coronant,  
Te libans Lenace uocat; pecorisq. magistris  
Velocis iaculi certamina ponit in ulmo:  
Corporaq. agresti nudant praedura palaestra.  
Hanc olim ueteres uitam coluere Sabini,  
Hanc Remus, & frater: sic fortis Etruria crevit:  
Scilicet & rerum facta est pulcherrima Roma,  
Septem quae una sibi muro circumdedidit arces.  
Ante etiam sceptrum Dictaei regis, & ante  
Impia quam caesis gens est epulata iuuenis,  
Aureus hanc uitam in terris Saturnus agebat.

Nec

*Nec dum etiam audierant inflari casica, nec dum  
Impositos duris crepitare incudibus enses.  
Sed nos immensum spatijs consecimus aequor;  
Et iam semper equum sumantia solvere colla.*

